



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Donationibus. Consilium CCCLXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

cred. cum lex idem permittat ipsis militibus, qui sic donaverunt, l. 3. C. De donat. inter vir. & ux. multo magis eorum successoribus, quorum nulla est turpitud. Et regula, quæ est de non audiendo eum, qui suam, vel auctoris sui turpitudinem allegat, non obtinet, cum turpitud. jus adversarij prorsus tollit, & prostermit, *Felm. in c. Lator poss. princ. vers. est etiam alius casus ubi turpitud. De sent. & re iudic. omniumque minime, cum ei per viam exceptionis vel replicationis objicitur, qui turpitudinis particeps est, & de lucro captando certat, l. De tutela & ibi doct. C. De integ. rest. minor. Marth. Marthesianus in d. l. relios. Quæ omnia hic concurrunt; nam Appellantes non propriè egerunt contra Martham, sed suo debitori assilendo, mandatique illi nulliter dati executionem impediendo, se petitioni dictæ Marthæ objecerunt, ne ei solutio fieret.*

14. Quamobrem nec illud Appellantibus ob stare debet, quod Dominus Guilielmus unus hæredum tamquam testis huic donationi præfens fuerit, & sic in hanc donationem consensisse videatur, l. Lucius Titius Quib. mod. pign. vel hypot. solvitur: nam principio cum plures sunt hæredes, unius consensus alijs nocere non potest, l. Non debet alteri. Factum, De reg. iuris: deinde præsentia illius, qui actum impedire non potest, & quo absente atque invito idem fieri posset, præfenti non præjudicat, l. Sic ut §. non videtur Quib. mod. pig. vel. hypot. sol. & tertio quod legis prohibitio consensus omnes effectus præcindat, usque aded ut etiam ipsi donanti in hoc casu actionem ad receptionem permittat, d. l. 2. C. De donat. inter. vir. & ux.

Sed nec illud Appellantibus ob stare debet, quod legatum à milite concubina relictum, tamquam ab indigno auferat fiscus, non hæres sibi retineat, l. Mulierem de his quib. ut indig. & donata putativæ uxori, quæ per legis prohibitionem uxor esse non potest, fisco vindicentur, d. l. Cum hic status in fine: quasi eâ consideratione Appellantes, cum ad suum commodum nihil petere possint, sed actione destituantur, de defectu aut revocabilitate seu fragilitate juris dictæ Marthæ, objicere non possint; cum de jure fisci tertius opponens non audiat, l. His consequenter D. Famil. ercis. *

15. Nam quicquid sit in ultima voluntate seu legatis, hoc indubitatum est, & aperta lege, in d. l. 2. in verb. eam tibi restituui iubebis, definitum, donationem militis suæ concubinae factam, sic ipso jure esse nullam, ut concubina nec efficaciter sibi accipiat, nec ad emolumentum fisci capiat illud; sed resolutâ seu annullatâ causâ traditionis, ipsi militi & non alij restitui debeat. Quæ omnia cum clara & liquida sint, non debebat per duos Iudices priorum instantiarum, causa Marthæ præferri in hoc concursu; potissimum quia nulla præcesserit dicti D. Lamberti debitoris condemnatio: nam licet D. Lambertus post cessionem ex donationis causa Marthæ factam hoc debitum capitulariter recognoverit, & dictæ Marthæ solvere promiserit; id tamen pro sententia haberi non potest, sed tantum pro delegationis complemento; quam superius diximus in proposito esse erroneam & nullam. Vnde etiam est, quod sententia in prima instantia lata, primum continet condemnationem D.

Lamberti. Sic quod dici non possit Martham prius pervenisse ad sententiam, & Appellantes lata sententia supervenisse; quo casu posset tolerari hujusmodi decretum, l. 15 à quo De rei vindic. sed hic tantum agitur de impedienda sententia, ne illa feratur ad commodum Marthæ. * Et grava. 16. men, de quo hic queritur, consistit in eo, quod pro eadem Martha latum sit hoc decretum, & sic non agatur principaliter de impedienda sententia, ne feratur in favorem Marthæ; cujus generis oppositio, & concursus admittitur; quia idem iudicium est, in quo ex æquo de omnium competitorum jure querendum & cognoscendum est: licet aliud esse possit diversis iudicijs, adversus unum debitorem aut possessorem institutus. l. pen. De petit. hered. Covar. practic. quest. lib. 1. cap. 16. ne executio iudicati temerè impediatur, d. l. 15 à quo. Et hoc est quod ex sententia Innocentij, in c. Veniens De testib. scribit Baldus, in c. 1. §. si duo in princ. De pace tenenda: quando unus competitor incingit competitorem objicendo se illi, pro neutro potest ferri sententia, nisi jure utriusque discusso.

Cum itaque ex præmissis alijsque quæ per aliorum præcedentes consultationes deducta sunt, evidenter constet de bono jure Appellantium, non tantum quoad gravamen, ob quod appellatum existit à decreto de solvendâ seu tradendâ pecuniâ Marthæ, sed cautione; reservatâ tantum Appellantibus suâ actione contra Martham; verumetiam quoad causam seu materiam principalem, quod scilicet hæc donatio per D. Michaelen Marthæ facta, sit damnata tamquam à sacerdote milite cælestis militiae in suam concubinam, & focariam facta; consequens est, ut quia sub conditione, si constaret de huiusmodi bono jure & damnatione donatione, Venerab. D. Decano data est facultas restituendi adversus lapsum fatalium, eamque restitutionem Appellantes, quatenus opus est, formaliter etiam petierint; eam quoque idem D. Decanus concedere debeat, eaque concessâ declarare, prout in conclusione in libello appellatorio in hac causa exhibito ex parte Appellantium petitum existit.

De Donationibus.

S V M M A R I V M.

Donatio concubinae per Clericum facta.

1. 12. Donatum & traditum à clerico concubinae non repeti possit.
2. Donationes clerici & militis facta concubinae comparentur.
3. Donatio olim non erat specialis contractus.
4. Miles concubinam habere non potest.
5. Castra à castitate dicta.
6. Donationes affectionis inhonestæ causæ permittuntur.
7. Donati repetitionem quando impediatur paritas turpitudinis.
8. 13. Donata concubinis per senatores repeti possunt.
10. Clerici privilegia militum tribuuntur.
11. Praepositi Alexandrini doctrina reprehenditur.

CONSILIVM CCLXX.

Ex traditione Ioannis Antonij de Sancto Georgio vulgò nuncupati Ambrosij Praepositi Mediolanensis, postea Cardinalis Alexandrini

andriani, in Rub. Extravag. De donat. inter vir. & vxor. n. 3. inicitur dubitatio & scrupulus causa, quæ nunc in tertiâ instantiâ pendet, coram Domino Decano S. Sulpitij Diestensis; inter hæredes & Executores testamenti quondam Domini Michaelis E. appellantes; & Martham V. appellatam: † in quâ nuper ad instructionem Domini Iudicis scripsimus, vide sup. consil. 366. & inter alia, quod donatio, quam clericus præsertim sacerdos suæ concubinæ, etiam per realem rei donatæ traditionem, fecit, sit nulla; quodque donatori aut eius hæredi sit repetendi potestas, l. 2. C. De donat. inter vir. & vxor. nullâ habita consideratione parit turpitudinis, quam in clerico concubinario, & ipsa concubina utrimque est conspicere. Ex quâ tamen consideratione inhonestæ affectionis causâ, factæ donationes, etsi non prohibent actionem, ut mulier non traditum ex ea causâ à donatore petere possit; ad executionem tamen & retentionem profuturæ, in pari De reg. iur. lib. 6. l. Vbi autem cum l. seq. De condit. ob turpem causam. Adversus quæ in proposito casu assumitur dicti Præpositi doctrina, in d. Rub. nu. 8. quod quamvis non valeat verbalis donatio sacerdotis in concubinam facta, si tamen ultra verba processum est ad rei donatæ traditionem, donatum repeti non possit. Cujus traditionem, multis alijs rationibus adductis, simpliciter recitatam, sequi videtur Ioannes Lupus, ad Rub. Extravag. De donat. inter vir. & vxor. §. 39. nu. 7. Et quamvis rationes in priore nostro consilio pro asserenda repetitionis potestate, etiam ejus, quod sic concubinæ realiter traditum est, sufficere poterant, sup. d. consil. 369. quia tamen per Dominum Iudicem in eo difficultas constituitur, pressius propiusque hunc juris articulum in universum resolvemus.

2. Illud in primis dicimus, præter dictum Præpositum, & qui eum simpliciter sequitur Ioannem Lupum, neminem esse ex Interpretibus & Doctoribus, qui non in hoc articulo parem faciat conditionem militis & clerici donatoris, ubicunque hujus aut illius mentio incidit, l. 2. C. De donat. inter vir. & vxor. l. Affectionis, l. Donationes De donat. l. Miles ita §. mulier De milit. testam. l. Mulierem De his quib. ut indig. Nec est quisquam, qui militi aut clerico repetitionem sic inutiliter donat & traditi permittat; sed quotquot sunt, apud quos invenire potui hujus rei tractationem, ut sunt Ioannes Andreas, Hostiensis, in c. De his sub sine in verb. conferent Desput. Cynus, in d. l. 2. Godofredus, in d. l. 2. Bartolus, in d. l. 2. & in d. l. Affectionis, Baldus, in d. §. mulier, Albericus, Angelus, Salicetus, Ioannes Faber, in d. l. 2. Raphael Cumanus, in d. §. mulier & in d. l. Affectionis in fine, Castrensis, in l. Donationes De donat. Ludovicus Romanus, in d. l. Affectionis, Ioannes de Imola, in d. l. Affectionis, & in cap. 1. De cleric. egrot. Panormitanus, in cap. 1. De cler. egrot. nu. 4. Ioannes de Anania, in d. c. 1. nu. 7. Cardinalis Zabarella, in d. c. 1. vers. 5. nota, Felinus in c. cum ex officio nu. 2. De præscript. Nicolaus Everardus Præses, in loco à milite armata militia ad milit. celest. milit. Constantius Rogerius, in d. l. Donationes nu. 8. omnes uno ore in hoc articulo simplicem absolutamque comparationem & adæquationem militis & clerici faciunt; nullâ

Conf. Wamef. Tom. II.

factâ mentione alicujus differentie inter obligationis donationem, hoc est promissionis ex donationis causâ, & absolutam donationem, quæ fit per traditionem: de quâ solâ donatione omnes leges anteriores accipiendæ sunt simpliciter de donatione loquentes.

Olim enim donatio non erat species contractus legitimi, quam Iustinianus primùm inveniit, in l. Si quis argentum §. ult. c. De donat. sed modus acquirendi dominium propter traditionem, §. est & aliud Instit. De donat. Differentia traditionis sequutæ vel non sequutæ est tantum in comparatione seu oppositione militum seu clericorum & paganorum; quod paganorum concubinæ donatum & traditum repeti non possit; sed ex ea causâ traditum à militibus & clericis repeti possit: ut apertè tradit Angelus, in d. l. 2. in fine; qui in pagani parit turpitudinis considerationem assuit, non autem in militibus aut clericis. Ita ut singulari opinioni dicti Præpositi, qui unum tantum habet sectatorem, nullum auctorem, nihil tribuendum sit; nec recedendum à naturâ adæquatorum, quorum eadem solet esse juris dispositio, l. 1. & ibi Doct. De legat. 1.

Nec movere debet ratio turpitudinis, quasi illa sit in clerico concubinam alente; non item in milite homine soluto, cui concubinam lex civilis permittit, l. 1. D. De concub. * nam & in milite turpe putatur, & pro turpitudine constituitur, concubinam aut consuetudinem cum aliqua muliere habere. Vnde lex, d. l. Mulierem De his quib. ut indig. hujusmodi consuetudinem appellat, non concubitus, sed contubernium, & stuprum, quod sine probro & turpitudine intelligi non potest, l. Stuprum alias Probrium De ritu nupr. & in eum militem, qui sic militiæ assuescit, turpis suspicio cadere dicitur, d. l. Miles ita §. mulier De milit. testam. Quinimod ex repetita vetustatis seu veteris motis historiâ constat non licuisse militibus in suo contubernio mulierculas habere; & in arctiore rei militaris disciplinâ ac legibus id cautum fuisse, ut quæ voluptatis causâ comparata essent, militibus auferrentur & lubmoverentur; idèque scorta plerumque castris fuisse eiecta, Valer. Maxim. lib. 2. de milit. cap. 2. Quintil declamat 3. * cum castra militum à callitate sint dicta. Vnde illud Propertij.

Romanis utinam paruisset castra puellis.

Quamobrem in militibus majorem, quàm in paganis, callitatem requirit Lucas de Penna, in l. Statut C. De erogat. milit. annonæ lib. 12. arg. d. §. mulier. ut hoc eleganter refert Andreas Tiraquellus, in legib. connubialib. leg. 1 §. gloss. 1. parte 15. nu. 22. 24. 25. Ita ut cum à probro & turpitudine eximi non possit militis stuprum, seu cum solutâ concubitus; & certum atque indubitatum sit; quod miles donatum, hoc est, ex donationis causâ traditum suæ concubinæ, ab ea repetere possit, d. l. 2. C. De donat. inter vir. & vxor. nec parit turpitudinis consideratio meliorem faciat concubinæ possidentis conditionem, nec accepti repetitionem impediât; constat, quod nec in clerico sic donante melior constitui debeat concubinæ accipientis

N

ipientis conditio.

Nec ad rem facit, quod gravius peccet clericus concubinaris, quam miles: nam quanto gravius est illius, tanto etiam gravius est ipsius concubinae ex naturae correlativorum hac in re peccatum; ut nihil sit, cur concubinae magis hoc, quam illo casu permittatur. Et hoc est, quod Doctores in hac comparatione clerici ad militem etiam ratione turpitudinis dicunt, hanc Iuris dispositionem fortius & potentius obtinere in clerico quam milite, *Cynus d. l. 2. & ibi Odofred. & alij*. Regula igitur de parit turpitudinis causa hic assumi non debet; sed legis prohibitio in consideratione habenda est. * Lex non prohibet donationes inhonestae affectionis gratia, etiam erga meretrices factas, sed tolerat, *d. l. Affectionis*; excepta donatione militis in suam focariam facta, *d. l. 2.* quam prohibet, & propter prohibitionem consideratio turpis causae utrimque observantis, assumi non potest ad hoc, ut contra legis prohibitionem dati nulla sit repetitio: quia legis prohibitio potentior est, quae facit, ut ipsa donatio sit nulla, & pro infacta; sic ut inde neque transferatur dominium, neque aliquis iuris effectus sequatur, *l. Non dubium C. De legib.* ut mirum non sit, si illius, quod dominium militis numquam exivit, sit repetitio.

Et hoc est, quod eleganter docet Cynus in *l. Cum te nu. 2. C. De pact. inter empt. & vendit.* regulam de parit turpitudine locum non habere, quando forma contractus invenitur à lege prohibita; hoc est, quando simpliciter lex prohibet, ne certum genus personarum certo generi personarum donec: ut est in proposito, in quo constat generaliter & honestas & inhonestas militis in concubinam donationes esse prohibitas, *d. l. 2.* Secus esset, si lege tantum prohiberetur, ne milites ob libidinem concubinis; ex alia autem causa donare possent: eo enim casu quia prohibitio causam contractus, non contractum ipsum seu contractus formam contingit, propter parem turpitudinem, possidenti adversus repetentem recte succurreretur, *d. l. Vbi autem, Cynus in d. l. Cum te nu. 2.*

Ad quem modum prohibita sunt donationes, quas Senatores, Praefecti, Duumviri, & sacerdotum provinciarum ornamentis condecorati, vilis conditionis concubinis faciunt: & sic quidem prohibita, ut quamvis turpitudinis ratio utrimque inveniri possit; melior tamen non sit conditio possidentis ad retinendum; cum etiam heredibus huiusmodi donatoris sic donatorum repetitio sit concessa, *l. 1. C. De natur. lib.* quia scilicet donatio, non donandi tantum causa prohibita est.

Cum ergo in prohibitione legis, non in turpitudine causae, consistat haec res; & nemo sit, qui non admittat æquiparationem militis & clerici; & quod in hoc articulo nullā apertā legis vel canonis dispositione in clerico definitum invenitur, per extensionem & interpretationem à juris Interpretibus sic definitur, admittendum non est, ut quorum eadem est ratio, & prohibitionis similitudo, illorum diversum jus statuatur. Quod evidentius elucescet, si ad hoc quoque advertatur, legis hanc in milite prohibitionem, non ad poenam aut odium illius referri, non magis quam prohibitionem donationis inter conjuges, sed ad

eorum favorem; ne scilicet nimio amore & adulationibus concubinarum milites bonis suis spoliarentur. Vnde rescriptit Antonius Imperator, in *d. l. 2. Milites meos à focariis suis fidei adulationibus spoliari nolo*: quibus verbis duo significantur, scilicet donationem ipso jure esse nullam; donatumque militi esse restituendum; adeo ut hoc militi, velut privilegium sit attributum. Ut etiam plerique Interpretum inter specialia privilegia concessa militibus hoc de nullitate donationis in concubinam factae ac facultate repetendi id quod sic donatum est annumerant, *Zabarella in c. 1. De cleric. agrot. relin. in c. Cum ex officio n. 2. De prescripte. Nicol. Eberhardus in supra citato loco à milite armata milita; dicentes, Ioan. de Imola in d. l. Affectionis, specialitatem hanc, & privilegium hoc, consistere non in eo, quod concubina sic promissa, à milite non possit petere; nam nec posset à pagano; sed quod donatum & traditum miles repetere possit. † Cum igitur privilegia militibus armatae militiae concessa, omnes ad clericum transferant, *Zabarel. & alij supra citati*, & tanto magis clericis accommodanda esse tradant, quanto clerici militibus sunt honoratioribus, *Baron. in c. 1. nu. 4. De cleric. agrot.* nulla est ratio, cur non perinde clericis, ut militi repetere donatum concedatur: odio omni, si quae illius consideratio haberi debeat, relicto & detorto ad ipsas concubinas, quarum venenis animi militum & clericorum inficiuntur, *l. 1. C. De natur. lib.* ut praerepta donatione seu jure acquirendi ac spoliandi, amplexibus & insidijs abstineant.*

Quinimo sibi ipsi contrarius aliquo modo est Praepositus, & eius assecla Ioannes Lopez, ex eo, quod clerico denegatam hanc donati & traditi repetitionem permittat fisco ecclesiae; quod indicium est, concubinae nihil acquiri ex huiusmodi donatione; cum usus regulae de parit turpitudine sic possidentem tuesatur, ut nec fiscus id auferre possit. In quo articulo etiam errat Praepositus, & cum eo Ioannes Lopez. Quamvis enim fiscus auferre soleat, quae scelere acquisita probari possunt, *l. Lucius De iure fisci*: non tamen auferit omnia, quae turpiter, & cum aliquo peccato, vel infamia acquisita sunt, *l. Si ob turpem De conduct. ob turp. causam*. Quemadmodum ad fisci curam non pertinent omnia peccata, quae in specie nominati delicti non transeunt, nec in stellionatum cadunt; & multa contra bonos mores, & non recte fiunt, adversus seu propter quae tamen nulla poena statuta est, *l. Et si quis §. idem Labeo in fine De relig. & sumpt. funer. 12 Bald. cons. 14. & 15. vol. 1. †* Et cum in militis privilegio legis prohibitio sit fundata, & per interpretationem à milite ad clericum extensa, ut uno ore omnes, quotquot hunc articulum tractant, fatentur, nulla est ratio, cur fisci hanc in sententiam sine evidenti exemplo aut certā Iuris ratione producamus vel admittamus; qui clericis hoc privilegiū faciat inutile; satisque sit si fisci in suo cursu, quo per expressā legis dispositionem vocatur admittamus: ut est in relictis concubinae per militum & clericorum testamentum, *d. l. Materem*; ut in plurimis causis ad auferenda testamentaria lura facile admittitur: & eodem rursus excludamus, quo lex, *d. l. 2. C. De donat. inter vir. & ux. do-* natori tam apertē donati repetitionem concedit.

Excusantur

Excutiantur Decij, *conf.* 132. In *casu proprio*, Rolandi à Valle, *conf.* 98. Si *donatio vol.* 1. Aymonis Gravetta, *conf.* 225. *Quidam clerici vol.* 2. & aliorum consilia & responsa; non dico super legato clerici concubinæ suæ factò in quod (ut diximus) filius irreperet; ut etiam à plerisque consulendo responsum est, *Benedictus Capra conf.* 129. & *si visio & consideratio* nu. 6. sed super donatione clerici suæ concubinæ facta, non invenietur, qui non aperte dicat vel præsupponat, *Aymo Gravetta d. conf.* 229. nu. 6. clerico eiusque heredibus permittendam esse repetitionem donati, etiam in specie, quæ cum rescripto Imperatoris, *in d. l. 2.* per omnia similis sit, ubi nomen concubinæ instrumento acquisitionis per clericum inferum vel inferi permissum est, *decius d. conf.* 132.

13. Quorum opinionem omnino comprobant constitutio de donationibus Senatorum, & Sacerdotum provinciarum ornamentis condecoratorum, retractandis, & repetendis donatis per hæredes donatoris. Ita ut & numero aliud opinatum, & pondere rationum omnino expugnata Præpositi nova sine auctore, sine exemplo, sine iusta ratione assumpta opinio, in hoc articulo Venerabilem Dominum Iudicem conturbare, vel ad partes appellatæ trahere minimè debeat; quominus scilicet arbitretur in hac causa constare de damnatâ donatione sacerdotis in suam focariam seu concubinam: à quo puncto secundum rescriptum Apostolicum eidem Domino Iudici exhibitum spes victoriæ partis appellantis dependet.

De peculio Clericorum.

S V M M A R I U M.

Clerici quos fructus faciant suos.

1. Unionis species duæ.
2. Beneficiorum annexio quid operetur.
3. Exemplo quod sit iure fieri.
4. Compromissum est species transactionis.
5. Exemplis an indicandum.
6. Beneficiarii an sine loco usufructuarij, an usuatij.
7. Clerici quomodo suos faciant fructus suorum beneficiorum.
8. Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus an ad hæredes transeant.
9. Successor clericus quamdiu sustineat onera beneficij.
10. 12. Clericus de bonis Ecclesiæ suis heredibus tantum relinquere potest, quantum de suis pro Ecclesiâ erogavit.
11. Administrator erogata repetere potest.

CONSILIVM CCCLXXI.

Iunge inf. *conf.* 374.

CATHEDRALI Ecclesiæ S. Audomari per Sedem Apostolicam est annexa Præpositura & Monasterium de Watenes in Flandria; idque sine ejusdem Monasterij extinctione seu suppressione. Hujus ut & Cathedralis Ecclesiæ Rector & possessor novissimus Reverendissimus Dominus Ioannes Six in mense Augusto factâ mense, & perceptis ac collectis ejusdem Ecclesiæ & Monasterij fructibus, de

Conf. Wamef. Tom. II.

cessit. Quæritur, an ad hæredes Reverendissimi Domini pertineant hujuscemodi fructus; ad exemplum arbitraris sententiæ, per Amplissimos Dominos Consiliarios Concilij Arthesiensis lata pro hæredibus Reverendissimi quondam Domini Franc. Richardo i Episcopi Atrebatensis; per quam ejusdem Episcopatus percepti, & ante illius mortem collecti & inhorreati fructus, dictis hæredibus, non successori in Episcopatu fuerunt adjudicati? Eoque constituto quod ad hæredes pertineant, cui incumbant onera sustinendorum Religiosorum, & aliorum sumptuum dicti Monasterij, an dictis hæredibus ex sic collectis & perceptis fructibus, an verò vacante sede futuro successori ex fructibus proximo anno percipiendis ad onus vacantis sedis? Vterius quæritur, an deficiente iure hæredum in dictis perceptis fructibus, ad eos saltem pertineant reliquæ pensionum, censuum, & reddituum de præcedentibus annis, quæ propter temporum difficultatem hæcenus exigi seu percipi non potuerunt; eo præsertim in consideratione habito, quod idem Reverendissimus D. pro ipsdem annis sustinuerit onera dictorum Præposituræ, & Monasterij, alendo etiam illius Religiosos, idque sine perceptione notabilis alicujus emolumenti ex bonis seu redditibus ejusdem Præposituræ, pro dote & intertentione Episcopi dicto Episcopatu Audomariensi assignatis?

Ad quarum propositarum quæstionum expeditiorem resolutionem, convenisset exhibere Bullam Apostolicam dictæ annexionis, quæ proponitur facta sine extinctione seu suppressione; cum plerumque hujuscemodi annexiones, uniones, & incorporaciones fieri soleant per speciem suppressionis & extinctionis beneficij, dignitatis, vel monasterij, quod alteri digniori unitur vel incorporatur. Quæ formâ vidimus aliquot in noviter erectis Episcopatibus, ut Mechliniensis, Buscoducensis, Ruremondensis, Namurcensis, Gruningenfis, uniones, & incorporaciones, etiam Abbatiarum & aliorum Monasteriorum per modum & formam suppressionis & extinctionis factas.

Quippe ex varietate formæ & modi unionis seu annexionis, alius atque alius posset esse illius effectus, *Glos. in can. Et temporis xvi. q. 1. DD. in c. Sicut univ. de excess. Pralat. vet. Perus. in tract. de union. Eccles. cap. 2.* Et quidem interveniente extinctione seu suppressione uniti beneficij, cum per se amplius non stet, sed velut extinctum conformatur cum eo, cui annectitur, *l. Rerum mixtura de usucap. ejus naturam & conditionem sequitur, c. Accessorium de reg. iur. lib. 6.* ita quod beneficium sic unitum perdat nomen beneficij, *Ioan. Bapt. Caccialupus de union. artic. 8. nu. 8.* Eoque calu in terminis propositæ quæstionis idem statuendum esset de fructibus hujus beneficij, quod de fructibus ipsius Episcopatus ante mortem Episcopi perceptis. At verò cum nuda est annexio, seu potius accessio sine extinctione & suppressione, qui est alius modus unionis, *Glos. in d. c. Et temporis, Caccialup. de unionib. artic. 2. nu. 2. vers. 3. Per. Perus. in d. tract. cap. 1. nu. 9. vers. 3. ut neutro* quia cessat commixtio & confusio, post unionem utrumque per se adhuc subsistit; & qui utriusque possit.